



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 13. Catholici in Hibernia acerbe vexati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

Duxit postea Mediceus Eleonoram Sæc. XVIII.  
Gonzagam Principem de Guastalla, ex A.C. 1709.  
qua tamen nullam prolem procreave-  
rat, biennio post morte sublatus.

### §. XIII.

#### *Catholici in Hibernia acerbe vexati.*

Cum jamjam anni prioris die deci- Clef. du  
ma septima Martii Angliæ Regina Cabin.  
omnibus utriusque Regni Prætoribus Octobr.  
injunxit, ut omni poenarum severi- pag. 314.  
tate in Catholicos desævirent, ideo præ- Theatr. Eu-  
primis Warthonus Comes Hiberniæ pag. 247.  
Pro-Rex omnes Jesuitas & Sacerdotes  
ex toto Regno, indictis poenis in læsæ  
Majestatis reos decretis ejecit, & in-  
colis religione Catholicis interminata  
bonorum proscriptione injunxit, ut fi-  
dem Jacobo II. legitimo suo Regi præ-  
stítam palam ejurarent; cumque com-  
pertum esset, quod Lismorensis Ab-  
bas libellum quemdam, etsi in eo nil nisi  
preces pro ejusdem Regis, suique Filii  
Walliæ Principis incolmitate contine-  
rentur, in Galliis Anno 1700. editum  
divulgasset, hinc Pro - Rex hunc Sa-  
cerdotem præter quingentarum sterlin-  
gicarum multam, condemnavit, ut  
cunctis forensis judicii diebus cum in-  
fami schedula e collo pendula publico  
populi ludibrio exponeretur: Insuper  
*Hist. Eccles. Tom. LXVIII. D toto*

Sæc. XVII. toto applausu in hibernia excipieban-  
A.C. 1709. tur Calvinistæ & Lutherani e Palati-  
natu in Angliam profugi, Catholici  
vero, qui inter eos reperiebantur, rur-  
sus in patriam reverti compulsi sunt:  
Mense etiam Octobri idem Pro - Rex  
assentientibus ceteris *pro impediendo Pa-*  
*pismi argumento* decretum promulgari  
jussit, quo non modo Religionis Catho-  
licæ incrementum severè prohibitum,  
sed etiam ultimum ejus excidium pro-  
motum erat: nam interdicebatur, ne ullæ  
Scholæ deinceps pro instituenda Ca-  
tholicorum juventute permitterentur,  
& Nobiles æque ac opifices juramen-  
tum religioni Catholicæ adversum præ-  
starent, & si illi id exsolvere renuerent,  
bonorum proscriptione punirentur, opi-  
fices vero opificii sui quocunque in loco  
exercendi jure privarentur. Miseri-  
mam Catholicorum sortem misertus  
Pontifex, P. Bonaventuram de Burgo  
Hibernum Ord. S. Francisci ad Josephum  
Imperatorem, ejusque Conjugem, Car-  
dinalem de Lamberg, Carolum de  
Lotharingia Osnabrugensem Episcopum  
& Cosmum Etruriæ Ducem unacum  
literis die vigesima quarta Aprilis able-  
gavit, qui eis graves nimium & multipli-  
ces ærumnas, quibus Catholici in Hiber-  
nia a Magistratibus Eterodoxis miseran-  
dum in modum affligerentur, expone-  
ret;

rét, eosque eo inclinaret, ut auctori-Sæc. XVII.  
tate sua efficerent, quatenus miseris A.C. 1709.  
hisce Catholicis Limbricenses & Gal-  
vienses pactiones de Religionis liber-  
tate servarentur, & contraria iis edicta  
prorsus abolerentur. Episcopus etiam  
Monasteriensis Hibernorum caussam  
apud exterios Principes magno studio  
egit. Verum horum Principum aucto-  
ritas nihil profecerat apud illos, qui-  
bus ex Catholicorum odio quævis sancta  
& sacra pacta & fœdera palam, & ar-  
mata etiam vi violare familiare est(\*)  
Cete-

(\*) Vetera fidei Catholicis datæ & a Pro-  
testantibus violatæ exempla haud moror, ubi  
recentissimum ejusmodi factum ad fines Her-  
bipolitanos perpetratum vindictam in cælum  
clamat; quamvis jam a centum & amplius  
annis, & Anno 1666. per Cæsareum decre-  
tum, & utriusque Religionis pactum in pro-  
xima Dominica post Festum Trinitatis Wer-  
themensibus Catholicis Sacram peregrinantium  
supplicationem habendi jus firmum assertum-  
que, & mutuo inter Verthemenses Comites  
Lutheranos, & Lewensteinianos Comites  
Con-Domino religione Catholicos conven-  
tum fuisset, nihilominus anno Christi 1781.  
tres Lutherani Comites Verthemenses hoc  
pactum violare decreverunt, & aliquot ante  
dies per quosdam Verthemenses cives ad quæ-

**Sæc. XVIII.** Ceterum Pontifex die decima septima A.C. 1709. Augusti Catholicos in Anglia & Hibernia hortabatur, ut inter hosce tribulationum & persecutionum motus Catholicæ fidei puritatem illibatam servarent, & peregrinis doctrinis aures occluderent, necnon Constitutionem *Vineam Domini* observarent.

## §. XIV.

vis audenda paratissimos falsum rumorem, perinde ac si Catholicci contra usitatum morem & Imperii recentissimum suam processionem in Ecclesiam civitatis Verthemensis inducere meditarentur, ceterorum civium animos ad seditionem comparare satagebant, & quamvis Carolus Löwensteinius Comes jamjam ante octiduum per suum Cancellarium Scriptotenus fidem fecisset, omnem novitatem aut immutationem in Religionis negotio a Catholicorum mente prorsus remotam esse, nihilominus tres illi Lutherani Comites Verthemenses Donawerthanorum & Dantiscanonem exemplum imitati, praefata die Dominica suos Venatores, famulos, stabularios &c. armis atque ex illis duodecim equis instruxerunt: Hos igitur, ac magno numero convocatos rusticos, & aliquot centum cives, qui fustibus, hastis aliisque ejusmodi instrumentis munitierant, ipsimet Comites nudatis ensibus die decima septima Junii veluti in aciem eduxerunt, pulsatisque omnibus civitatis